



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XXVIII. Epistola quorundam Episcoporum ad Othonem Babenbergensem
Episcopum de obitu Heinrici IV. Jmperatoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

tequam causæ eius exitus appareat. Sed optimè nouit sanctissimus Apostolatus vester hanc sanctorum Patrum sententiam de dubiis Episcoporum causis, non de manifestis intelligi debere. Eius verò, de quo agitur, impudentissima causa, & certum crimen, nullum legitimæ defensionis, nullum iustæ excusationis colorem recipit. Luce enim clarius patet omnibus, quod nullis meritorum priuilegiis, nulla præeunte electione ad tanti sacerdotij gradum est ascitus, sed tyrannica violentia intrusus, in ouile Dominicum non per ostium intrauit, sed aliunde per ambitionem, & Simoniacam hæresin, tanquam fur & latro impudentissimè irrupit, & quod sine magno dolore, & cordis compunctione dicere non possumus, locum legitimi Pastoris sibi vsurpauit, quem sibi sancta VVirzeburgensis Ecclesia de filiis suis communi voto & consensu Cleri & plebis, nobisque laudantibus & consentientibus Canonicè inthronizandum elegerat; utpote natalibus & moribus nobilem, Ecclesiastica disciplina apprimè imbutum, fide Catholicum, natura prudentem, vitacastum, sobrium, humilem, affabilem, literatum, in lege Dei instructum, in sensibus scripturarum cautum, & per omnia sacerdotali nomine & honore dignissimum.

XXVIII.

Epistola quorundam Episcoporum ad Othonem Babenbergensem Episcopum de obitu Heinrici IV. Imperatoris.

A* Moguntinus, † F. Coloniensis. v. Constantien-
sis. B. VVormaciensis. A. Spirensis per Dei mi-
sericordiam Archiepiscopi. v. Fuldensis Ab-
bas. H. quoque Dux, F. Dux, G. Palatinus Co-
mes, B. Comes de Sulzbach, & cæteri vtriusque profes-
sionis Principes, qui exequiis Imperatoris intererant, Venerabi-
li fratri Ottoni Episcopo hinc fraternas in Christo orationes,
inde fidelissimum deuotæ seruitutis obsequium.

* Adelbertus.
† Fridericus.

Post.

Postquam dominus Imperator viâ vniuersæ carnis ingres-
sus est, & nos exequias eius cum iusta deuotione & reuerentia
compleuimus, ipse ordo rei & temporis qualitas exigere vi-
debatur, vt de statu & pace regni aliquid conferremus, si non
abesset præsentia vestra cõsilium, & aliorum Principum, tan-
to negotio vtile & pernecessariũ. Quam expectare, quia graue
erat & difficile, sedit omnium nostrum sententiã, si vestra tan-
tum non displicet concordia, Curiam in festo Beati Bartho-
lomæi apud Mogunciam celebrare, & ibidem conuenienti-
bus Principibus de statu & successore regni, ac negotiis neces-
sariis, prout Spiritus sanctus aspirauerit, ordinare. Nullum ta-
men præiudicium deliberationi & voluntati vestrae facientes,
nihil nobis singulare ac priuatum in hac re vsurpamus; quin
potius discretioni vestrae hoc apprimè intimatum esse cupi-
mus; quatenus oppressio, qua Ecclesia cum vniuerso re-
gno vsque modo laborauit, dispositionis diuinæ prouidentia
inuocetis, vt in substitutione alterius personæ sic Ecclesiæ suæ,
& regno prouideat, quod tanto seruitutis iugo amodò careat,
& suis legibus vti liceat, nosq; omnes cum subiecta plebe tem-
porali perfruemur tranquillitate. Contestamur etiam dile-
ctionem vestram, vt pacem credito nobis cælitus populo, in-
fra præscriptum Curia terminum, & ultra ad quatuor hebdo-
mades ordinetis, quatenus omnibus tutior fiat concursus ac
reditus, & vt curialiter, more videlicet antiquorum Princi-
pum cum propria impensa, neminè pauperum lædentes con-
ueniatis.

XXIX.

*Epistola Eberhardi Episcopi Bambergensis ad
Abbatem Monasterij Admontensis.*



Berhardus Dei gratia Babebergensis Ecclesiæ hu-
milis minister, Domino G. venerabili Abbati de
Admunte, & vniuersis fratribus suis in Christo di-
lectissimis secundum vtrumq; hominem debi-
tam in Christo deuotionem.

A Domi-